



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De louiani imperio, & quòd suscepto regno multa iustè legitimeq[ue]
statuerit. Cap. III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

SOZOMENI HISTOR.

imperium Romanū permultis in nationibus ei subiectis
 variis calamitatū generibus affligi permisit. Nā terra gra-
 uissimis motibus continenter concussa, & ædificiis ruen-
 tibus, neque domi cuiquam, neque sub diō versari tutum
 erat. Atque uti ex his, quæ mihi narrata fuerint, coniectu-
 ram facio, vel eo ipso imperante, vel secundum saltem gra-
 dum post imperatorem obtinēte, clades Alexandria vbi
 Aegypti inflicta, accidit. Quo quidē tempore mare cum
 in suum locum recessisset, denuō imperu repentino æstu-
 ans, extra suos terminos erupit, & longē lateq; aridum va-
 dis obruit: adeō ut cum aqua recessisset, scaphæ marinæ in
 domorum tegulis repertæ sint. Atq; eo die, quo ista acci-
 derūt (quem *γενέσις* id est, natalitia terræ motus vocant)
 festum quotannis Alexandrini etiamnum agunt. In quo
 quàm plurimis per totam urbem lucernis accensis, & pre-
 cibus ad gratias Deo agendas fufis, cum magno splendore
 hunc diem festū, & non minore cum reuerentia celebrant.
 His accedunt diutinæ siccitates, quæ eiusdem imperatoris
 temporibus & fructus, & aeris salubritatem labefactarūt.
 Hinc tanta rerum ad victum necessariarū penuria orta est,
 ut homines fame compulsi, pabulo, quo animalia ratione
 carentia uti solent, vescerentur. Quinetiam pestis secuta
 est, quæ suos secum aduexit morbos, & hominū corpora
 extinxit. Verū de Iuliano hæc hætenus.

*De Iouiani imperio, & quòd suscepto regno multa
 iustè legitimeq; statuerit. CAP. III.*

Post Iulianum, communi exercitus cōsensu Iouianus
 capessit imperium. Quem cū milites in hostili terra
 imperatorem delegissent, ipse se Christianum esse cla-
 ra voce professus, imperium recusauit: neque imperii in-
 signia vsq; eo suscipere voluit, quoad milites, cognita re-
 cusationis causa, se itidē Christianos esse clamassent. Ac
 cum rerum status in periculo constitutus esset, & propter
 malam Iuliani gubernationem admodum perturbatus, &
 exercitus penuria commeatus valdè laboraret, necesse ei
 videbatur, pactis quibusdam conditionibus, pacem cum
 Persis facere, & ob eam causam aliquid de tributis, quæ
 Roma.

Romanis antè pensitauerant, remittere. Cumq; præterea experientia didicisset imperium propter iram diuinam in Iulianum, qui ante ipsum regnauerat, accensam, acerbè afflictatū fuisse, abiecta omni cunctatione, scripsit ad præfides nostratum prouinciarum, vt in ecclesias frequentes conuenirent, & diuinum numen studiose colerent, docerentque suos solam religionem Christianam verum Dei cultum in se complecti. Porro ecclesiis, & clericis, viduis & virginibus immunitatem reddidit, & si quid aliud vel ad commodum, vel ad honorem religionis nostræ à Constantino ac liberis suis aut donatum, aut lege sancitum fuisset, postea autem à Iuliano illis ablatum. Misit item ad secundum præsidem generalem edictum, quod iubebat, vt qui sacratam virginem vel ad nuptias contrahendas pelli-
Adiudice Lu-
therani
 cere conaretur, vel lasciuo solum obtutu aspiceret, maximè omnium si per vim rapere tentaret, capitis supplicio mulctaretur. Istam legem ideò tulit, quòd quidam improbi viri, regnante Iuliano, tales virgines vel vi, vel persuasione ad hanc corruptelam inductas sibi connubio iunxissent: quemadmodum fieri solet, cum religionis statu perturbato, turpis libido id genus sceleris consciscendi impunitatem proponat.

Quòd denuò motus in ecclesia exorti sunt, & de Antiocheno concilio, quod fidem Nicanā confirmauit, & quid ad Iouianum Imperatorem scripserit. CAPVT IIII.

IAM verò quæstiones de integro & disputationes de doctrina fidei ab ecclesiarum præfidibus agitari ceptæ sunt. Nam dū regnabat Iulianus, propterea quòd summa religionis Christianæ omnino in discrimine versabatur, à disceptando omnes se temperarunt: communiterque inter se Deum supplices orabant, vt ipsis propitium se ostenderet. Atque ita natura humana comparatum est, vt cum ab exteris iniuriam acceperint, cum suis concordiam habeant & pacem: cum autem sint malis ab exteris importatis liberati, ipsi inter se seditionem & discordiam concitent. Sed quibus rebus, aut gētibus istud acciderit, non est